DE RARO MORBO QUO SUBLATUS EST COMES NICOLAUS BIELKIUS, SENATOR URBIS...

Antonio Blasio



DE RARO
MORBO
QUO
SUBLATUS EST
COMES
NICOLAUS BIELKIUS,
SENATOR URBIS.





ROMÆ MDCCLXV.

Ex Typographia S. Michaelis ad Ripam, apud Franciscum Bizzarrini Komarek, provisorem librorum in Bibliotheca Vaticana.

SUPERIORUM PERMISSU.

ANTONIO CASALIO
PATRITIO ROMANO
A SECRETIS SACRÆ CONSULTÆ.


ANTONIUS BLASIUS FELICITATEM



X iis quæ, in adverſaria mihi congeſſeram de raro Morbo, quo nuper eſt ſublatus Fr. Nicolaus Bielkius, Senator Urbis brevem hanc hiſtoriam, perſcripſi, nec alium, præter Te, habui, PRÆSUL AMPLISSIME, cui illam nuncupa-

rem. Præclare etenim de te vir ille ſummus ſentiebat, & magnifice de tuis virtutibus loquebatur. Fac tu modo, ut quâ es humanitate erga omnes, eâdem munus hoc meum, admodum leve libentèr accipias, illiuſque auctorem tibi devotum, addictumque tuo præſidio tueare. Vale. Romæ III. Non. Julias MDCCLXV.

FR.





R. Nicolaus Bielkius Equeſtri Divi Lazari dignitate ornatus, atque Urbis Senator, e nobiliſſima, vetuſtiſſimaque familia in Svetia ortus, patrem habuit Carolum Guſtavum, Regni Quæſtorem, & Comitem, qui honor apud eas gentes permagni habetur. Hic avito ſplendore clarus, ac populo Romano ob humanitatem, comitatem, ac juſtitiam, quâ æquabili octo, & viginti annos juri-dicundo in Capitolio præfuit, gratiſſimus, mortem obiit die duodecima Junii Anni MDCCLXV. ætatis ſexageſimo. Antonius Blaſius Romanus, Archihoſpitalis S. Mariæ

Consolationis Chirurgus Primarius, qui apud Summum Virum eodem, dum opus fuit, Chirurgi functus est munere, ex quo ad amplissimum honorem a S. M. Clemente XII. Pontifice Maximo fuit vocatus ad extremum usque vitæ Spiritum, memor benevolentiæ, quâ ipsum ille complexus fuerat, atque ut monumentum aliquod sui erga illum obsequii apud posteros extaret, litterarum mandavit monumentis continentem malorum sibi succedentium seriem, quibus multos annos est ille conflictatus, & quibuscum diutius etiam vitam producere potuisset, si invisa illi fuissent Empiricorum consilia, ac remedia, quæ postremo atroci morbo, quo e manibus veluti amantissimæ Urbis fuit avulsus, gradum incitarunt.

Is igitur Vir Summus, licet temperamentum naturâ nactus esset ultramodum scorbutum, uti ajunt,

(amiſerat enim omnes dentes præter unum quinquageſimo ætatis anno) mirâ nihilominus membrorum inter ſe conſenſione ac oris, totiuſque corporis dignitate præſtabat. Procerus enim erat, agilis, venuſtus, candidus color, vivaces oculi: Comis præterea, blandus, officioſus in omnes, ſagax ingenio, in adverſis denique fortunæ, ac valetudinis caſibus ad miraculum conſtans, quod tunc præcipue oſtendit, cum patria diſcedens Religionis cauſâ quæ ſibi cariſſima fuerant Patrem, Uxorem, Propinquos, & ingentem Annuæ pecuniæ numerum forti animo reliquit; & cum iterum, & ſæpius fuit coactus Pariſiis ſæviſſimas operationes Chirurgicas ſubire ob tumores, & fiſtulas, quæ illi anum obſederant, & a quibus ortum traxiſſe deterrima illa mala, quæ ejus vitam perpetuo ſunt inpoſterum comitata, non eſt ambigendum.

Romam

Romam etenim vix pervenerat cum primo mucosis, inde purulentis per anum dejectionibus vexari cœpit, quod erat indicio unum, pluraѵe ulcera adhuc interiorem, superioremque intestini partem tenere, ad quæ, neque oculus, neque manus, uti facto sæpius experimento compertum est, pertingere poterat.

Saniosis iisdem per anum dejectionibus aliæ insuper purulentæ per urinæ canalem accessere ab annis quatuordecim, & eo amplius, quæ primo illum valetudinarium reddidere: Progressu vero temporis tale intulere detrimentum, ut postremis duobus vitæ annis cum sensu ardoris, vel invitus mittere guttatim urinam cogeretur.

Duos eosdem postremos, quos innuimus annos misere aut domi manens, aut in lectulo decumbens traduxit, in quibus sæpè ab irregularibus febribus cohorrescens asperrime di-

divexabatur, nec non a vomitu, præterea a convulſionibus fere aſſiduis, a quibus ter in grave vitæ diſcrimen eſt adductus, ac præcipue die ſecunda ſuperioris Aprilis, quo tempore tanta fuit paroſiſmi feritas ſpatio ſeptem horarum, ut ne levis quidem rerum cognitio in Ægroto reliqua videretur. Levationem tamen aliquam tum huic poſtremo paroſiſmo, tum aliis afferre videbantur ſpontanea, copioſa, nigra, fætidaq; inteſtinorum recrementa, cinerea ſanie redundantia, quæ circa menſis Maii initia quotidie magis invaleſcentia maximam diei, noctiſque partem ſellæ affixum detinebant. Jam ante hoc tempus facies expalluerat, abdomen vehementer intumuerat, & intentum evaſerat: Interdum mens evaneſcebat, fere nullam partem quietis illi nox dabat teterrimis ſomniis interrupta. Ille aliena modo loqui, modo abs

re

179

re irasci, interdum flere, veniam interdum postulare. In eum denique locum res venit vigesimaquinta die Mensis Maii, post transactam superiorem noctem plenissimam ærumnarum ut summo mane mihi evocato ostenderit scrotum enormiter tumefactum, dexterum glutium inflammatum, ac mole auctum, spatium totum denique illud, quod anum inter, & testes interjacet alteratum admodum, tumens, ac tactui facile cedens. Ex hujus spatii veluti centro circa meridiem diei ejusdem fusca macula sese manifestavit, quæ macula sub vesperam per cæca quædam foraminula nequaquam conspicua & urinam, & serum putre evomuit. (Proh dolor! quanta esse debuit vis, & diritas internæ latentis labis, si paucarum horarum spatio tantam stragem externis corporis partibus intulit). Fudit sese in latitudinem dimidii scu-

ſcuti (quod vocant) Romani prædicta illa fuſca, & gangrænoſa macula tribus diebus. Quartam denique inter, & quintam diem eſchara ſponte delapſa cavitas, ſive ulcus ſinuoſum patuit, ex quo præter urinam, etiam alvinæ feces prodibant, & intra quod manifeſtiſſimæ in oculos incurrebant viæ, quas putris ſanies, tum a ſuperiori inteſtini, parte, tum a veſica ſibi effoderat, in cujus cavitatis ſinum veluti in communem Cloacam, & urina, & alvi excrementa ſeſe exonerabant.

His incommodis, quibus nulla remediorum efficacia potuit obſiſti, vehementer ægrotans nobiliſſimus Vir, ciborumque faſtidio laborans tres, & viginti dies tranſegit, quibus ita laxatum habuit ventrem, ut ſingulis diebus ſepties, octieſve copioſa inteſtinorum excrementa putri ſaniei admixta, cadaveroſumque fætorem emittentia

deji-

dejiceret, eodemque tempore cruciatus acerbissimos anum intra, & vesicam sustineret, quos ipse Ægrotus ad lumbos usque pertinere asseverabat. Cumque animadverteret pauxillum fieri leviorem morbum inediâ, summâ deinceps difficultate cibo, potioneque usus est, quapropter macie, & febri confectus firmo animo, ac constanti, uti Christianum Virum decet, e vita migravit.

In ejus cadavere nihil superesse visum est præter ossa arida cute vestita, quæ manibus contrectata non secus sonitum reddebant, ac si vitrea fuissent, atque a nativa sua sede dejecta. Morbi peculiaris, ac genuina Sedes, quæ latitabat in ventris cavitate, detegi post mortem non potuit, propterea quod ipse vetuerat suum dissecari cadaver: ceterum morbus, quo interiit, non multum illi fuit absimilis, qui vitam ademit Tito Pomponio Attico, ut legere est in ejus vita apud Corn. Nep.